

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs VII. Vtrum nomina quæ important relationem ad creaturas  
dicantur de Deo ex tempore. art. 7.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

## ARTICVLVS V.

*Virum ea, quæ de Deo dicuntur & creaturis,  
vniocè dicantur.*

*Nomina  
tertij generis  
analogicæ di-  
cuntur de Deo  
& creaturis.*

**V**ix hoc loco dici poterant, dictæ sunt à nobis copiosè 4. Metaphysica inter disputatur tandem de analogia entis. Quæ enim de ente communi creato & increato dicta sunt, dicenda etiam sunt de ceteris nominibus tertij generis communibus Deo & creaturis, vt de sapientia, intellectu, bonitate, &c. de quibus tantum loquitur Diuus Thomas hoc loco, affirmens, neque vniocè, neque purè vniocè dici de Deo & creaturis, sed analogicè. Porro hæc analogia ad illud genus analogorum pertinet, quibus in mente responderimus conceptus formalis, de quibus eriam scientia & via definitio esse potest, quæque simpliciter dicta accipiuntur pro omnibus analogicè significatis: eo quod de singulis dicantur propriè, & de nullo impropriè, sive per translationem, ut ibidem latè explicatum est. Quare non est cur hoc loco hac de re longiore explicationem texamus.

## ARTICVLVS VI.

*Virum nomina per prius dicuntur de creaturis,  
quam de Deo.*

*prima  
clauso.*

*Nomina  
qua transla-  
tiæ dicun-  
tur de Deo,  
principalius  
de creaturis  
dicuntur.*

**V**ix sunt conclusiones huius articuli. Prior est. Nomina, quæ metaphorice, per translationem dicuntur de Deo, ut quod sit *ignis consumens, agricola, &c.* dicuntur principalius de creaturis, quas proprie significant, & minus principaliter de Deo. Idem est dicendum de nominibus tertij generis, si de Deo dicentur solum in sensu, quem causalem appellant: quoniam tunc de Deo solum impropriè, & per translationem dicentur.

*Secunda  
conclusio.*

*Nomina  
tertij generis  
communia  
Deo & crea-  
turis, prin-  
cipalius dicun-  
tur de Deo  
licet non  
quoad modum  
significandi.*

Posterior conclusio est. Nomina tertij generis communia Deo & creaturis, licet de vtrisque dicantur propriè, hoc est, non per translationem, principalius tamen dicuntur de Deo, si ad rem significatam attendas, quippe quæ perfectius & eminentius per se essentia inuenitur in Deo, in creaturis vero per participationem. Si vero ad modum significandi attendas, cum conceptus, quos exprimunt, perfectius & magis propriè representent res creatas, a quibus desumuntur, quam Deum, magis propriè etiam de rebus creatis, quam de Deo, affirmantur.

*Analogia-  
rum vnum  
quando in de-  
finitione ca-  
terorum ad-  
hibentur.*

Illud est hoc loco animaduertendum, regulam illam in principio articuli allatam: nomina analogia, quæ dicitur de pluribus, dici de illis per respectum ad unum, quod ponitur in definitione ceterorum, non esse vniuersum verum: sed de analogis tantum, de quibus loquitur prima conclusio, quæ significant vnum propriè, & aliud, aut alia per translationem. Vnde solum est allata ad probandum primam conclusionem. In his vero analogis de quibus loquitur secunda conclusio, quæ videlicet significant omnia sua significata propriè, non est semper verum, quod in definitione minus principalius significati ponatur alterum significatum principale: neque enim in definitione sapientia creatæ necessitatem est adhibere sapientiam increata, vt hoc loco notat Caet. Quamvis cum huiusmodi analogata minus principalia habitudines sint transcendentes, vt vocat, ad analogata principia, negandū non sit, vt exactissimè co-

**A**gnoscantur, necessarium est, vt tamquam terminus, quem secundum suas naturas & essentias respiciunt, cognoscatur analogatum principale. Nemo quippe exactissimè cognoscit sapientiam creatam, nisi intelligat participationem quamdam esse diuinæ, à qua emanavit, & quam secundum suam essentiam transcendentaliter respicit.

## ARTICVLVS VII.

*Virum nomina, quæ important relationem ad  
creaturas dicuntur de Deo  
ex tempore.*

**A**nimadvertisendum circa hunc articulū est, non solum relations quasdam rationis ad creaturas, qualis est relatio dominij, causa, vniuersitatis &c. dici de Deo ex tempore, sed etiā actiones Dei ad extra, quæ esse solent rationes fundandi eiusmodi relations, vt creationem, iustificationem, assumptionem humanitatis, &c. huiusmodi namque actiones non sunt formaliter in Deo, sed sunt in creaturis tamquam in subiecto: denominatione vero extrinseca dicuntur de Deo, vt saepe diximus in commentariis in Aristotelem, quod etiam, cum de creatione erit sermo, repetemus.

Quæ de relatu dici poterant hoc loco, diximus latè in prædicamentum relationis, & i. Physicorum, dum de priuatione agebamus 4. metap. q. 3. & 5. metap. cap. 12. q. 1. & 2. disputari vero solent ab Scholasticis vt plurimum in i. d. 30. illud vero adiciam, Durandum in i. d. 30. q. 2. & 8. Gabrielem ibidem per aliquot questiones, Gregorium d. 28. Ochamum & quodam alios, idcirco existimare relations illas causæ, dominij, &c. quæ ex tempore de Deo dicuntur, esse in Deo relationes reales, & non rationis: quoniam credunt relationem non esse aliquid realiter, aut formaliter distinctum à rebus absolutis, sed ipsam res absolutas querentes per comparationem ad aliud denominant, vt Socratem esse similem Platoni in albedine, non esse aliud, quam Socratem habere albedinem, vt Plato eam habet. Quoniam vero Platone non existente albo, Socrates non potest dici albus vt Plato, inde inquit, est quod ab albedine absoluta Socratis non consurgat denominatio illa relativa comparatione Platonis, quæ antea consurgebat, non vero quod denominatio illa sit aliquid ab albedine absoluta aliquo modo distinctum. Iuxta hanc ergo sententiam ab absolutis relationibus realibus, quæ ex eternitate sunt in Deo, potest ex tempore consurgere denominatio relativa comparatione creaturarum, quæ incipiunt esse ex tempore, sine aliqua relatione reali aut rationis que sit res ab absoluta aliquo modo ex natura rei distincta.

Hec tamen opinio aperte est contra Aristotelem, distinguenter relationem vt distinctum genus ex natura rei ab absolutis, cuius esse arque essentia sit ad aliud se habere. Prætereat paternitas in diuinis, à qua omnia paternitas, iuxta dictum Pauli ad Ephes. 3. nominatur, est ratio formalis respectiva, & non absolute, ergo etiam paternitas creatæ, quæ diuinam imitantur, est respectiva. Breuitatis gratia mitto impragationes alias huius sententia.

Quod si quis obicit, Deus realiter est Dominus creaturarum: ergo non dicitur Dominus à relatione rationis. Dicendum est, realiter esse Dominum, tam quod ad fundamentum, nempe potentiam ad creandum, quam quo ad rationem fundandum; creationem videlicet ipsam, quæ re ipsa habere dicitur

*Relatio ex  
natura rei  
distinguenda  
à rationibus  
abolutis.*

*Dominus  
creaturarum  
cur Deum  
littera dica-  
tur, cum do-  
minus relatio  
sit in eo ra-  
tionis.  
creatu-*

creaturas actus; non verò quo ad relationem rationis, qua formaliter denominatur Dominus, hac quippe non habet esse reale, sed rationis.

ARTICVLVS VIII.

*Virum hoc nomen, Deus, sit nomen natura.*

*Deus seu  
omnis genitrix  
quæ dicitur  
est nomen  
suum.*

**G**ONCILVOS est huius articuli. Licet nomen, Deus, quid Græc Θεος dicitur, ab aliqua ipsius operatione sit impositum, nempe (vt Damascenus 1. lib. fidei Orthodoxæ ca. 12. art.) vel à *θεων*, quod est curare, & disponere vniuersa, eorumque habere prouidentiam, vel à *θεων*, quod est vtere, quasi ignis sit malitiam omnem consumens, vel à *θεοις*, quod est intueri omnia, non tamen est nomen operationis, sed natura diuina, ut art. 1. latius explicatum est. Aliud namque est id à quo imponitur nomen, vt lapis, à laetando pedem, & aliud ad quod significandum imponitur. Quia verò illa omnia, à quibus sub distinctione nomen, Θεος, à Damasceno dicitur esse impositum, ad diuinam speciem prouidentiam, ait D. Thomas absolutè dicendum esse, impositum fuisse à diuina prouidentia; id quod Dionysius 12. cap. de divinis nominibus, Clemens Alexandrinus ad finem 1. lib. stromatum, & alij affirmant.

ARTICVLVS IX.

*Virum hoc nomen, Deus, sit communicabile.*

**I**RCA hunc articulum animaduertendum est, nullam naturam, quæ neque diuina potentia esse potest in multis, posse esse vniuersalem, si absolute ac simpliciter loquendum sit, vt ad Porphyrium cap. de specie quest. 3. explicatum est. Quod si aliqua apprehendatur, aut significetur ad modum vniuersalium, propterea quod non concipiatur, vt est in se, vt significari videtur natura diuina hoc nomine, Deus, poterit quidem dici vniuersalis, at non simpliciter, sed secundum quid, & cum conditione diminuente, nempe, quod modum quo significatur, ita vt sensus sit, significatur ad modum rerum vniuersalium, non tamen est vniuersalis. Illud etiam animaduertendum est, hoc nomen, Deus, communicabile esse tribus suppositis diuinis, quæ tamen non sunt multa secundum hoc nomen, Deus, sed sunt vnum tantum numero Dei. Quia tamen D. Thomas nondum peruenit ad tractatum glorioissimæ Trinitatis, silentio prætermittit hanc communicabilitatem, solumque est loquutus de communibilitate multis, quæ sint multa secundum nomen eius rei, que illis dicitur esse communis, quæ plane communicabilitas necessaria est, vt aliquid sit simpliciter vniuersale. Porro, vt de fide est, nomen, Deus, incommunicabile esse in sensu explico, vt confat ex illo Sapientia 14. Incommunicabile nomen, lignis & lapidis imposuerunt: ita de fide est, per similitudinem aliquam cum Deo auctore adeo impropriè, & per translatiōnem, communicabile esse multis, iuxta illud Psalm. 81.

*Ego dixi Dij es sis,  
& filii excelsi  
omnes.*

Molina in D. Thom.

1

ARTICVLVS X.

*Vtrum hoc nomen, Deus, uniuocè dicatur de Deo per participationem, & secundum naturam, & secundum opinionem.*

**P**RO intelligentia huius articuli, notandum est, idola gentium, falsisque Deos, duobus modis appellari Deos. Altero modo ab iis ipsis, à quibus coluntur, & habentur vt Dij, qui incomunicabile nomen Dei in sua propria significacione falso tribuantur huiusmodi rebns. Sumpcio autem hoc modo vocabulo, non est equum, ex falso hominum opinione attributum, quia natura non sumit Dij: non fecis ac si dicas, lapidem esse animal, nomen animal vnuocè sumitur, ac falso tribuitur lapidi. Altero autem modo, idola gentium, falsaque Dij, verè à nobis, & ab Scriptura sacra appellantur Dij, cum addito tam *Dij gentium*, aut *dij eorum*, vt cum Scriptura dicit Psalm. 95. *omnes Dij gentium demoria: aut Pente 32. non est Deus noster, vt Dij eorum* in quibus propositionibus nomen, Deus, sumitur in impræpria significacione proprii qui reputantur Dij: sicut nomen, homo, sumitur in significacione impræpria ad significandum hominem pictum. Quare sicut, pithum additum homini, est particula diminuens, & denotata sumi in impræpria significacione: ita particula, gentio, aut particula, eorum, addita vocabulo, Deus, est diminuens, & denotata sumi in impræpria significacione, pro Dii qui à gentibus reputantur tales, & non sunt. Sumpcio ergo vocabulo Deus, vt & propriè dicitur de eo, qui verè est Deus per naturam, & impræprio dicitur tam de eo, qui est Deus per similitudinem, quam de eo, qui est Deus iuxta existimationem & opinionem gentium: merito ait Diuinus Thoñas hoc loco, neque esse vnuocum ad illa tria significata, neque pure ex vnuocum, sed analogum per attributionem ad verum Deum.

ARTICVLVS XI.

*Vtrum hoc nomen, qui est, sit maximè nomen Dei proprium.*

**V**I Exodi 3. in editione vulgata quartenti Moysi, si dixerint mihi, quod est nomen eius: quid dicam ei? Respondetur, *Ego sum qui sum. Sic dices filii Israhel: Qui est, misit me ad vos*, in textu Hebreo habetur. *אֶת־נָאֹתָה כִּי־תְּחַזֵּק־עֲמָד־לְפָנָי אֶת־אֶתְנָתָן־לְפָנָי* *Eliyah asher eliah cha shomay libne Israhel* *Elich shbelachani elechem, id est, Ero, qui ero, qui erit, misit me ad vos.* Praetermissis verò aliis expositionibus eius loci, communior & consonantior antecedentibus & consequentibus, a qua expositione Sanctorum est, eo in loco ponit futurum pro praesenti, quod frequens esse in idiome Hebreo aperitis locis Scripturæ sacra probat inter alios Lippomanus in sua catena in eundem locum Exodi 3. Quare optimo iure, non solum interpres editionis vulgatae vertit in praesenti, *sum qui sum. Qui est cuius est me ad vos*, sed etiam ante eum vertierunt eodem modo Septuaginta iuxta Græcum idioma.

Nomen, qui est, dictum per antonomasiā, ita vt significet, qui est per essentiam, atque à se ipso, ac qui est per se ipsum, qui neque esse cœpit, neque definet, neque est in eo præteritum aut futurum, neque vicil.

*Nomen,*  
*qui est, est*  
*maximi pro-*  
*prium nomen*  
*Dei.*

N 3 studio,